



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

5. Notabiliora de rubricis in Adventu, de 4. temporibus & Nativitate
Domini.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](#)

s. Notabiliora de rubricis in Adventu, de 4.
temporibus & Nativitate Domini.

Missarum ordo in Missali incipit ab *Adventu*,
tres autem adventus Domini contempla-
tur Ecclesia. *Primus* est, quando venit, ut ho-
mo fieret. *Secundus* in fine vitæ cujusque no-
strum in judicio particulari. *Tertius* erit in fine
mundi. Quia *primus* gaudiosus, *secundus* &
tertius pro Electis gratosus, pro reprobis terri-
bilis. Gaudium inter & luctum, metum inter
& fiduciam collocari nos vult Mater nostra Ec-
clesia. Et hinc in Missis in adventu partim læ-
titiam ingerit, & in Graduali (exceptis Feriis
4. temporum) *Alleluja* occinit, partim mœ-
torem inculcat. Hinc tacetur Hymnus Ange-
licus. Omnes autem Feriae Adventus sunt quasi
Vigiliæ summæ festivitatis Natalis Domini. Gav.
l. 2. tit. 2. docet à S. Petro usque ad Simplicium
Papam tantum in Sabbatho 4. temporum Ad-
ventus fuisse factas ordinationes. Gelasius au-
tem dicitur primò extendisse ordinationes ad
alia tria tempora. Portò si quatuor tempora, ut
docet S. Leo, ab Apostolis suè tradita, saltem
Calistus decreto suo firmavit usum. Sicut au-
tem sunt quatuor anni partes, ità in iisdem per
jejunium fit animæ purgatio, hyeme, vere, & sta-
te, autumno. Et sicut quælibet anni pars tres
menses habet, ità & ad ratam trium mensium
tres jejunii dies in hebdomada instituti sunt.
Feria 4ta, in qua factum est Consilium contra
Christum. *Feria 6ta*, in qua crucifixus. *Sab-
batho,*

batho, in quo Christus sepultus, & igitur
Apostolorum mæror fuit ob Christum mor-
tuum. Quæ in horto Christo agonizanti &
& capto contigere Feriâ quintâ sub noctem, re-
feruntur ad Fer. Etiam. Ipsa Feria quinta sem-
per à nobis festivè potius celebranda est ob insti-
tutam die illo à Christo Cœnam Eucharisticam
& Ascensionem ejus in cælum.

Tres Missæ celebrantur in festo Nativitatis
Domini in signum, quod Christus natus sit in
salutem omnium, qui in lege natuæ scriptâ,
& in lege gratiæ fuerunt, sunt & erunt.

*6. De quadragesimali jejunio, & Missa Ferie
4ta Dom. 4. in Quadrag.*

QUADRAGESIMÆ (Vide Gav. I. c. tit. 5.) ritus
est ab Apostolis. Tres causæ adseruntur
ad quadragesimalis jejunii. 1. Ut quadragesimarius
jejunii numerus ab Elia, Moysè, & denum à
Christo expletus, & à nobis impletatur, & tem-
pore hoc Christo patienti re ipsâ compatiamur,
2. Ut verno tempore libido concitata facilius
reprimatur. 3. Ut, sicut Hebrei post 40. an-
norum captiuitatem in Judæam reduces cele-
brârunt Pascha, ita & nos Christiani peracto
quadragesimali jejunio & corporis mortificatione
lætum quoque celebremus Pascha seu festivam
resurrectionem Salvatoris. Quia autem dêm-
ptis Dominicis Quadragesimæ supersunt tan-
tum 36. dies jejunii, ut quadragesimarius nume-
rus exactè impletetur, juxta Baron. tempore
Caroli M. & Stephani Papæ (alii prius id practi-
catum